

IOACHIMI

CAMERARII IN PARTITIO=

nes Ciceronianas com=

mentatiunculæ.

S**P**RIMum aliquid, etiam à nobis, dicendum est, de nomine huius libelli: Et quid sit partitio oratoria. Ac sciendum omnia quæ distribuuntur, aut complecti plura ut multiplicia ipsa quodammodo sint, aut singula constare de partibus quibusdam. Illa generis aut formæ appellatione notantur, quæ sunt γένης οὕτως. hæc totius habent nomen, id est, ὀλόγης τοιούτης. Priora diuiduntur in ea quæ includunt, id est, in quibus ueluti dilatata conficiuntur, ut genera in formas, formæ in singula. quæ propriè διαίρεσις dicitur. Totū autem in partes seu membra distribuitur. Ideo Fabius facit lib. VII. diuisionem rerum plurimarum in singulas, partitionem singularū in partes, discretum ordinem & rectam quandam collationem prioribus sequentia annexentem. Partium autem enumeratio, totius naturam ostendit & explicat. Ut si queratur de corpore animalis, & memorentur partes illius, Caput, pectus, uenter. Sic partes orationis dicuntur quibus oratio constat, nomen & uerbum. Est autem in suo